

La présente édition a été établie à partir de celle publiée chez Nicolo et Vincenzo Rispoli, à Naples, en 1737.

## I

## BERARDINI ROTAE VIRI PATRICII ELEGIARUM LIBER PRIMUS. (418 vers)

## ELEGIA I.

El\_1 v.1 Parcite, vera loquor, juvenem quis damnet amantem !  
 2 Quippe senex animus, charta puella fuit.  
 3 Lusimus, aud vacui venturo scripsimus aevo :  
 4 jactari rerum turbine jussit Amor.  
 5 Vidi ego, cum flerem vicini ad litoris oram,  
 6 flectier hinc scopulos, flectier hincque fretum.  
 7 Tu, nimbose tamen ceu spernens flamina cautes,  
 8 surdior es scopulis, surdior una freto.  
 9 Una Nigella mei dulcissima causa furoris,  
 10 una mihi ingenium, carmen et una mihi.  
 11 Et si saepe solet lacrimis Cytherea favere,  
 12 nec leve amatorum pondus inest lacrimis.  
 13 Oenones gemitu Phrygius ploravit adulter ;  
 14 flevit et Aesonides, dum gemit Hypsipyle.  
 15 Saepe Anchisiades, fletu commotus Elisae,  
 16 tentavit magni spernere jussa Jovis :  
 17 "Ac sine me, dixit, Trojanae abscedite puppes,

18 i, pete, macte puer, debita regna tibi :  
 19 sit tua Tarpeii fatalis gloria collis,  
 20 sint spolia, et quicquid Roma futura parat :  
 21 mi sat erit Tyriae tantum servire puellae,  
 22 non tanti faciam, Jupiter, astra tua.  
 23 Quid nequeunt gemitus ? Fletu testudinis Orpheus  
 24 fregit Tartareae ferrea claustra domus.  
 25 Tunc ad Threicios numeros sua saxa reliquit  
 26 Sisyphus, et refugas Tantalus hausit aquas.  
 27 Tunc oblita sui fixo rota constitit axe,  
 28 pendula tunc terror desiit esse silex.  
 29 Solus ego incassum queror, incassumque peruror,  
 30 et solum nostros spernit Amor gemitus."  
 31 Nec tantum undarum centum trahit amnibus auctus  
 32 Eridanus, latis cum furit imber agris,  
 33 quantum fuderunt lacrimarum lumina nostra,  
 34 ex quo me tristi turbine jactat Amor.  
 35 Nec tantum flammis fervet Trinacria rupes  
 36 aestuat aut mediis fluctibus Inarime,  
 37 quanto curarum flagravat pectus ab aestu,  
 38 ex quo, dire puer, bella secunda paras.  
 39 Dire puer, cur bella moves ? Quaeve ira lacessit ?  
 40 An forte haec eadem, quae mea, flamma tua est ?  
 41 Pone metum, quando laceri sum corporis umbra,  
 42 una puella tuus victa triumphus erit.  
 43 Sum cinis, ecquid agis ? Cineri quae poena sepulto ?  
 44 Non ego, crede mihi, qui nova bella feram.  
 45 Umbra sumus, nullos tenuis dabit umbra triumphos ;  
 46 Umbra sumus, nihil est, quod modo corpus erat.

## ELEGIA II.

E1\_2 v.1 Bella sequar, galeaque tegar, gladioque minaci  
 2 cingar, io manibus Martia tela date.  
 3 Hoc juvat, hostili non sum qui terrear ense :  
 4 mollis amans didici vulnera dura pati,  
 5 frigora jam didici, didici jam ferre calores,  
 6 ducere nunc noctes, nunc sine pace dies.  
 7 Sunt iidem Veneris comites, sunt Martis et iidem  
 8 rixa, timor, letum, bella, pericla, furor.  
 9 Quam juvat obscura radiantes nocte cohortes  
 10 cernere, et insueta tendere ab arte dolos.  
 11 Mox manibus conferre manus, fatumque ciere  
 12 ac victo exuvias hoste referre domum.  
 13 Huc veniat mea vita, leves comitentur Amores :  
 14 digna est, quam numquam deserat ipsa Venus.  
 15 Ipsa Venus nemore Idalio persaepe choreas  
 16 edocuit, nitidas disposuitque comas.  
 17 Castra amet, intactas fama est bellasse puellas,  
 18 testatur certa Penthesilea fide.  
 19 Clangoremque tubae, currusque audire ruentes  
 20 gestiat, et tremula tympana pulsa manu.  
 21 Ediscat gestare ense, clypeumque, sudemque,  
 22 atque gravi lassos aere levare humeros.  
 23 Una mimstret aquam, cum findit Sirius agros,  
 24 una ignem properet, cum riget acris hiems.  
 25 Sic mihi vel duri sint cara scommoda Martis,

26 sic mihi nulla ferae taedia militiae.  
 27 Haec eadem bello Martem comitata solebat  
 28 sedula, mirus amor, munia obire Venus.  
 29 Nec puduit liquide polum, terrisque negasse  
 30 lumina, non ulla deperitura die.  
 31 Sola ibat, non curae illi Charitesve, jocive :  
 32 unus adest matris semper Amor lateri.  
 33 Ah Venus, ecquid agis ? Posthac quis numen adores ?  
 34 Quo tua forma potens ? Quo tua regna Paphos ?  
 35 Jam galea tenues potes o fregisse capillos,  
 36 jam ferro teneras laedere saeva manus.  
 37 Et tamen una audes, mediis dum certat in armis,  
 38 eripere armato tela cruenta Deo.  
 39 Te non bella decent atro perfusa cruore,  
 40 non tuba, non rapido concita rixa pede.  
 41 Te bona pax, cantusque hilares, citharaeque, chorique  
 42 teque decent blandi proelia grata tori.  
 43 Quid moror ? Arma juvant, juvenem jam castra sequentem  
 44 admoneant clari satque superque patres ;  
 45 admoneant fratres pulchra moda caede perempti,  
 46 orbatae fratres lumina cara domus.  
 47 Felices nimium fratres, quibus atra refulsit  
 48 summa dies, lucro mors quibus ipsa fuit.  
 49 Pro patriis cecidisse focis quid dulcius ? Aut quid  
 50 pulchrius ? Haec magnis gloria digna viris.  
 51 Ibimus, o mecum doctae properate sorores ;  
 52 ibimus, haec chartas, haec ferat arma manus.

ELEGIA III. AD ALFONSUM ROTAM FRATREM JANI CALENDAE.

E1\_3 v.1 Subtrahe te paullum magnarum pondere rerum,  
 2 mi Rota, dum patrios perlegis ipse jocos.  
 3 Janus adest, festa praecinctus tempora lauro :  
 4 adde, puer, nigris arida ligna focis.  
 5 Pendula Acidalios effundat citrus odores,  
 6 antiquo crepitet laurus adusta lari.  
 7 Janus laetitia largus dator, et novus anni  
 8 nuntius, ut prisca jam coluistis avi.  
 9 Annua felici discurrunt munera pompa,  
 10 munera concordis pignus amicitiae.  
 11 Hac veniunt pictis bellaria sparsa canistris,  
 12 hac liba attritae melle recocta nucis.  
 13 Parte alia Hesperios longe superantia ramos  
 14 servata invitae aurea poma Notis.  
 15 Hinc salit agrestis Nympharum turba canentum,  
 16 ordine quas vario pensile tardat onus.  
 17 Haec sale duratae dono fert terga ferinae,  
 18 haec fert vimineis lactea frusta casis.  
 19 Haec modo decerptas spoliatis vitibus uvas,  
 20 e quibus optares nectere, Bacche, comas.  
 21 Haec gerit arbuteos curallia rustica fetus,  
 22 illa haedum, haec turdos, haec sine teste capum.  
 23 Haec mala Aurorae roseos imitantia vultus,  
 24 Appius et quae olim, quae Deciusve dedit.  
 25 Villa pellit humum pedibus, corpusque reflectit,  
 26 dum strepit imparibus tibia carminibus.  
 27 Cuncta hilari circum responsant compita plausu,

28 silvestres iterat fistula curva modos.  
 29 Crederet, haec siquis spectacula forte videret,  
 30 turrigeræ fieri sacra cruenta Deae.  
 31 Hinc pueri exercent choreas, curruntque per urbem,  
 32 pinifera hinc pulsant limina amica manu ;  
 33 alternisque canunt domino bona verba precantes,  
 34 missaque de tectis aera minuta ferunt :  
 35 "Sit dominus, clamant, dives ; sit conjuge felix,  
 36 et videat prolis semina longa suae,  
 37 candida cui niteat lux haec, cui candidus annus  
 38 adveniat, fausto mox redeatque pede.  
 39 Jane pater, laetis primus tu festa Calendis  
 40 diceris, et ritus instituisse novos.  
 41 Nam cum forte tuas sata Tibride Nympha medullas  
 42 ureret, et tristi servitio premeret,  
 43 non puduit (licet ipse aris, temploque verendus,  
 44 ac geminum inficeret cana senecta caput)  
 45 saepius errantem patris prope litora, Nympham  
 46 nequicquam assidua sollicitasse prece.  
 47 Ah miser, ah quoties pigro cita flumina cursu  
 48 sunt visa ad gemitus sistere, Jane, tuos.  
 49 Ah miser, ah quoties muscoso Naiades antro  
 50 duxere inscriptis tristia verba notis.  
 51 Quin etiam perhibent, maestas iterasse querelas  
 52 rustica ab arboreis numina corticibus.  
 53 Ast ubi jam lacrimae duram nequiere puellam  
 54 flectere, tunc alia parte requiris opem.  
 55 Muneribus tentare paras : quid munere majus ?  
 56 Debetur parvis gratia muneribus.  
 57 Jam capitur, jam capta tuo blanditur amori,  
 58 jamque fovet gelidum blanda puella senem.  
 59 Hinc venit antiquus mittendi muneris usus,  
 60 mutuus hinc parvo munere partus amor.  
 61 At mihi quidve usus prodest ? Quid munera prosunt ?  
 62 Mollitur nulla dura Nigella prece.  
 63 Mors superest, moriamur : habet mors gaudia certa,  
 64 quae valet aeterno demere vincla jugo.

## ELEGIA IV.

E1\_4 v.1 Desine venantem toties te credere silvis :  
 2 silva quoque insidiis non caret ipsa suis.  
 3 Desine, vita, novo miserum torquere periclo :  
 4 si vivam, fies carmine nota meo.  
 5 Rapta Elis ah nuper nocuit formosa videri,  
 6 heu nocitura nimis dona beata Deum.  
 7 Namque vagas linquens comites, dum se tulit ultra,  
 8 optatam vitrei quaerit et amnis aquam,  
 9 vicinosque petit saltus, silvasque virentes,  
 10 saltibus, et silvis plurimus ardor erat,  
 11 luciduli fontis quaesitam repperit undam,  
 12 quae leviter circum gramina picta salit :  
 13 dumque stupet, speculoque imi se prospicit amnis,  
 14 fons calet, et blando murmure flagrat aqua.  
 15 Ast ubi tentat eam haurire, et jam brachia tendit,  
 16 brachia tendentem nescio quis retinet.  
 17 Tum Nympha incassum socias compellat, at una

18 Eriphyla accurrit, cara Elis Eriphyla.  
 19 Una adit : at postquam circum nemus omne pererrat,  
 20 nec datur hanc usquam cernere, clamat "Elin",  
 21 clamat "Elin", nemus omne et "Elin", vallesque supinae  
 22 dant "Elin", ingeminat fons "Elin", antra et "Elin".  
 23 At si furta parum haec terrent, succurrat Adonis,  
 24 et madidus multo sanguine dirus aper.  
 25 Dum ferit ille feras, nemorosaque lustra recursat,  
 26 fata sibi, et Veneri quot peperit lacrimas ?  
 27 Audeat haec fortis venator comminus, uni  
 28 sat tibi sit vigilem fallere posse gruem.  
 29 Sat tibi ferre humeris calamos, contextaque lina :  
 30 non bene cum tenera copula dura manu.  
 31 Interea quaecumque tuo fera concidet ictu,  
 32 non cadet ; at vivet, quae tibi caesa cadet.

ELEGIA V. AD NICOLAUM ANTONIUM BRANCACIUM.

E1\_5 v.1 Brancaci, nostrae dulcissime nate sororis,  
 2 Brancaci, Idaliae pars bona militiae,  
 3 dum querimur, tectosque animi tibi pandimus aestus,  
 4 da lacrimas, lacrimis digna querela tuis.  
 5 Nulla vel infidae retrahat te cura puellae :  
 6 quid tibi cum Fausta ? Perfida Fausta tua est.  
 7 Castus amor meus est, casto sit testis amanti,  
 8 quem retinet firma copula vincta fide.  
 9 Ite procul, sanctos quos iuvat fallere amores,  
 10 rumpere quos pretio mutua vincla malo.  
 11 Roma tenet, juvenique Venus nec parcit alumno :  
 12 ipsa sua regnat saevior urbe Dea.  
 13 Sive ego Tarpeii superem fastigia clivi,  
 14 seu Caci interdum tecta profana petam,  
 15 sive Evandrei sacrata palatia collis,  
 16 seu visam claris culta theatra viris ;  
 17 una mihi ante oculos semper versatur imago,  
 18 una mihi Roma est, unaque cuncta refert.  
 19 Hinc mihi mille faces blandi jaculantur ocelli,  
 20 hinc tendunt nitidae retia mille comae.  
 21 Credebam, patrio caelo, laribusque relictis,  
 22 teque, mei in primis causa Nigella mali,  
 23 posse vel immiti paulum indulgere dolori,  
 24 posse vel aufugiens tanta levare mala :  
 25 et tamen usque Amor insequitur, tamen usque cadentem  
 26 saeva premis, nullam profugiumve datur.  
 27 Nusquam parta quies, nusquam pax tuta reperta est :  
 28 terras, non mentem transfuga mutat amans.  
 29 Te quoque sperabam, postquam nova sacra peregi,  
 30 placari votis, Cypria surda, meis :  
 31 sperabam, sed vana diu spes lusit amantem,  
 32 dura magis quando sentio regna tua.  
 33 Nonne illa es, Phrygio quae nescis parcere nato ?  
 34 Nonne trucis mediis fluctibus orta maris ?  
 35 Parce, Dea, immeriti tandem miserere : quid urges ?  
 36 Parce, rogo : ah victo quis nocuisse velit ?  
 37 Ipse ego, qui primis tua castra secutus ab annis,  
 38 ipse ego, qui regni gloria magna tui.  
 39 Et si non pariis posui tibi templa columnis,

40 nec colui sanctos thuris honore focos ;  
 41 at tibi sede mei secreta pectoris aras  
 42 erexi, et potui sacra parare nova.  
 43 Non jam farre pio, non extis rite perustis,  
 44 accensa puro non vel ab igne face ;  
 45 sed lacrimis, imo manant quae pectore, sed qui  
 46 profluit e nostris sanguine visceribus,  
 47 sed flamma aeternum vigili, aeternumque perenni,  
 48 cui possit merito cedere, Vesta, tua.  
 49 Te majora manent dignam majoribus ausis,  
 50 te decet invicto bella movere polo.  
 51 Sentiat ipsa tui letalia spicula nati  
 52 turba Deum, dominae serviat una tibi.  
 53 Percurrat rursus Peneia flumina Phoebus,  
 54 discat et Admeti pascere rursus oves.  
 55 Discat et aethereas invitus Jupiter arces  
 56 relinquere, mox medio mugiat ipse salo.  
 57 Cogere iterum positis Martem mitescere telis,  
 58 cogere rudi Alciden ducere pensa manu.  
 59 Desine jam in cineres posthac saevire sepultos :  
 60 non sum praeda satis nomine digna tuo.  
 61 Si tamen omnino pereundum, si fuga nusquam est,  
 62 me coram domina flente perire juvet.  
 63 Una suprema pio persolvat funera fletu,  
 64 dicat et haec scissis ad mea busta comis.  
 65 Castus amor, nostri castissima flamma poetae,  
 66 dignus erat longum vivere, et igne pari.

ELEGIA VI. AD ANTONIUM EPICURUM.

E1\_6 v.1 Quaeris, ut Herculeae fatum lacrimabile Nymphae  
 2 sit nova nunc chartis fabula picta meis.  
 3 Est, Epicure, nefas tam cari jussa sodalis  
 4 spernere : sancta jubet lex ita amicitiae.  
 5 Te duce, virgineis prima ora admovimus undis,  
 6 vidimus et sacrum religione nemus.  
 7 Te duce, Castalium pueri penetravimus antrum,  
 8 coepimus et tenuis tangere fila lyrae.  
 9 Hercullana olim Sebethi filia, qua non  
 10 et forma, et cantu dignior ulla fuit ;  
 11 cui Falcona oculis cedebat, non tamen Aegla,  
 12 cedebat cultis Antiniana comis.  
 13 Non illi Venus est curae, non curae Hymenaei,  
 14 laeta sat intacta virginitate frui.  
 15 Tantum hami, calamique juvant, contextaque tantum  
 16 lina placent, et quae litus, et unda parat.  
 17 Saepe olim Rex ipse sali miratus euntem est,  
 18 et mediis haesit paene perustus aquis.  
 19 Ah quoties vitreo Proteus miseratus ab antro,  
 20 e quo certa Deus dicere fata solet,  
 21 Sebethae, en video male caetae funera natae,  
 22 dixit : "Habet cupidos terra, fretumque Deos."  
 23 Forte aderat tauros perducens victor Iberos  
 24 Alcides, nostris advena litoribus ;  
 25 vidit, et insuetos imis bibit ossibus ignes ;  
 26 mox Nympham, haec tremula voce loquutus, adit :  
 27 quem fugis ? Ah me, Nympha fugis, quem jussa novercae

28           fecere invicti nomen habere Dei.  
 29       Alcides Jove natus amat, Jovis unica cura ;  
 30           sed mihi quidve Dei nomina, quidve patris ?  
 31       Quid possim scit terra, sciunt quoque Tartara : nulla est,  
 32           quae non victrices senserit ora manus.  
 33       His domitus superas Stygius canis horruit auras,  
 34           his aper, his caesus tegmina nostra leo.  
 35       Non aliis jacuit taurus, draco concidit armis,  
 36           non madidam Cacus sanguine fecit humum.  
 37       Quid matrem Antaeo, dirae quid profuit Hydrae  
 38           Hercule septenum vindice habere caput ?  
 39       Quid tibi tot variae, male fide Acheloe, figurae ?  
 40           Quid tibi veloces, Nesse proterve, pedes ?  
 41       Me pressi sensere angues, novere subacta  
 42           fortia pastoris corpora tergemini.  
 43       Num barbam impexam, vultus num forte minaces  
 44           horrescis ? Num quod clava cruenta manu est ?  
 45       Talem olim innumerae felici ardore puellae  
 46           nolentem blando detinuere sinu.  
 47       Talis eram, cum Iole nostro flagrabat amore,  
 48           deque mea quæsta est Deianira fide.  
 49       Sunt tua, quae pascunt latos armenta per agros,  
 50           praeda etiam praedae ductor et ipse tua est."  
 51       Dixerat, at subito conchis maletuta legendis  
 52           propter aquas tremulo poplite Nympha fugit,  
 53       atque ait : "Affer opem, pater o Neptune, petenti" ;  
 54           dumque ait "affer opem", comprimit ora rigor.  
 55       Saxea crure tenus jam fit, pars fronde suprema  
 56           obtegitur, media est flore adoperta novo.  
 57       Flevit amans, flevit natam Sebethus ademptam,  
 58           fertur et in fluvium tunc abiisse pater.  
 59       Tum Deus haec lacrimans silici ter ut oscula fixit,  
 60           oscula terque intus mota silex refugit.  
 61       Hercullana meo diceris nomine villa,  
 62           villa eris urbanis anteferenda locis.  
 63       Te circum gratis decoret mea populus umbris,  
 64           pisce Tethys, multo candida lacte Pales ;  
 65       te semper tenerae cantu, choreisque puellae  
 66           exhilarant, Graeco concelebrentque mero :  
 67       te canat aestivo defessus sole viator,  
 68           te canat hibernum dum mare nauta legit ;  
 69       et dicant hilares, longum bona verba precati,  
 70           Herculis haec villa est, Herculis ardor erat.

ELEGIA VII. AD NISAM.

El\_7   v.1   Huc, Nisae, huc propera : sunt hic quoque lustra ferarum,  
           2           si mage suns curae retia, tela, canes.  
           3       Et si forte optas virides cum fontibus umbras,  
           4           hic umbrae, hic liquido fons pede prata rigat.  
           5       Tuta licet leporesque agites, saltusque pererres,  
           6           et lassa ardenti sidere membra leves.  
           7       Sed quid ego exoptem ? Non est tua digna latebris  
           8           forma, vel aeternum vincere nata Jovem.  
           9       Non digna obscuris nitidissima lumina silvis,  
 10           non est haec duris sentibus apta manus.  
 11       Nisa, veni, mea Nisa, veni : timor irritus omnis,

12 non ego sum, qui te lustra per alta sequar.  
 13 In flammis, lacrimasque abii, penitusque reliquit  
 14 spiritus, et pro me verba ministrat Amor.  
 15 Verba ministrat Amor, quae possint flumina retro  
 16 vertere, et e medio vellere signa polo.  
 17 At si nulla meae tangit te cura querelae,  
 18 nec vis te patriis reddere litoribus ;  
 19 redde animam, rapuere tui quam nuper ocelli,  
 20 ut sit mi saltem fas modo posse mori.  
 21 Ut tu jure mea laetissima morte triumphes,  
 22 etsi nec credam parcere te cineri.  
 23 Tunc ego vulneribus vel saucia, te sequar umbra,  
 24 tum querar in tumulto de feritate tua.

ELEGIA VIII. IN OBITU MARTIAE CAPICIAE.

E1\_8 v.1 Cum se jam victam penitus Cytherea videret,  
 2 Martia, sidereo frontis honore tuae ;  
 3 indignata abiit, subitoque accensa furore  
 4 "Sume, ait, arma, puer : mater ad arma vocat."  
 5 Paret Amor, capit arma, volat : cecidere sed arma,  
 6 egregium nitido vidit ut ore decus.  
 7 Tu legis, atque humeris aptans fugis ocium ;  
 8 dumque fugis, saxo laberis icta caput.  
 9 Tum subito veniuntque rosae, veniuntque hyacinthi,  
 10 tinctaque purpureo sanguine terra viret.  
 11 Flevit Amor, Paphiae sociam flevere sorores,  
 12 hasque super tumulto composuere notas.  
 13 Occidit una patris dolor, una Capicia matris,  
 14 occidit aeternus conjugis una dolor.  
 15 At quicumque dei posthac fera spicula vitas,  
 16 ne timeas, tumulto spicula fracta jacent.

ELEGIA IX. AD HIPOLITUM CAPILUPUM.

E1\_9 v.1 Roma, vale, o tandem Romanae cedite curae ;  
 2 deliciae Phoebi, mi Capilupe, vale.  
 3 Rura petam jucunda deis, queis saepe vel astris  
 4 rivulus, et vilis carior herba fuit :  
 5 testis et Amphrysus, testes sunt Latmia saxa,  
 6 testis et Idaei pinea silva jugi.  
 7 Roscia prata vocant, Mariana vireta reposcunt,  
 8 tuque vocas vitrea, Fucine, dives aqua.  
 9 Tum mihi cura vagas volucres sit fallere visco,  
 10 tum blanda celeres voce monere canes ;  
 11 tunc et mane novo teneros decerpere flores,  
 12 et fessa herbosa membra levare toro.  
 13 Interdumque animi fletu solabimur aestus,  
 14 dum querulas Echo reddet amica notas.  
 15 Vos eritis fontes, nostri vos antra doloris,  
 16 vos testes Marso rura beata croco.  
 17 Tu quoque testis eris nostrorum conscia amorum  
 18 laurus, ab igne olim saepe perusta meo,  
 19 cujus sub viridi vacui cantavimus umbra,  
 20 movimus et geminae fila pusilla lyrae.  
 21 Roma, vale : regnata bono Mariana parenti



22           jam tenet, et dominum Roscia vallis habet.  
 23       Hic mecum volucres, quae per loca nota volatis,  
 24           flebilis maestos ingeminate modos.  
 25       Vos quoque flere Venus docuit, nec parva fuistis  
 26           saepius Idalii praeda, decusque dei.  
 27       Tu disce in primis nostras, Philomela, querelas :  
 28           crede mihi, his poteris flere, querique magis.  
 29       Atque o (quandoquidem potior nunc causa dolendi est)  
 30           haec mecum tristi carmina voce cane.  
 31       Tune, Nigella, fugis rapidis perniciosior Euris ?  
 32           Tu mihi siderea lucida luce magis ?  
 33       Hic mecum arboreis paulum requiesce sub umbris,  
 34           dum sitit Icario fervida terra cane.  
 35       Ecquis saevitiae finis ? Quae meta furori ?  
 36           Ut peream, satis est luce carere tua.  
 37       Lux tua Tartareae potis est dare lumina nocti,  
 38           lux tua Cimmeriis Lucifer esse locis.  
 39       Etsi mi tenebris semper tenebrosior Orci es,  
 40           etsi mi Stygiis noctibus atra mage es.  
 41       Num tepefacta tui spectatur flamma poetae ?  
 42           Flamma vel extrema non peritura die.  
 43       Ah potius dirae praerumpant fila Sorores,  
 44           fila nigro vitae stamine texta meae ;  
 45       quam vel tantillum noster deferbeat aestus,  
 46           quamve velim grato solvere vincla jugo.  
 47       Tu mihi curarum portus, lux una tenebris,  
 48           ultima flamma mihi es, primaque flamma mihi es.

## II

### ELEGIARUM LIBER SECUNDUS. (414 vers)

#### ELEGIA I. AD NIGELLAM.

E2\_1   v.1   Te mihi saepe olim memini jurasse, Nigella,  
           2   per Paphiamque deam, per Paphiumque deum,  
           3   nullo umquam nostros laesuram tempore amores  
           4   constanti fidei foedere perpetuae ;  
           5   numquam vincla animi fracturam, solveret etsi  
           6   vincla tui in cineres corporis atra dies.  
           7   Jurasti, sed verba tuis vix lapsa labellis  
           8   huc illuc rapidi diripere Noti.

9 Idcirco vereor, poenas te falsa daturam :  
 10 laeduntur laesa numina spreta fide.  
 11 Perfidiae haec poena est mutata mente puellis,  
 12 mutari ut videant ora, fidemque simul ;  
 13 ut compti parvo canescat tempore crines,  
 14 utque ligustra cadant, diffugiantque rosae :  
 15 quin et torpentem linguam, rictusque supinos,  
 16 mirenturque atras fronte, genisque notas ;  
 17 et modo quae mendax peccavit dextera, eandem  
 18 devinctam inspectent ariditate nova.  
 19 Tam dirum jurare nefas, et fallere divos,  
 20 in primis numen, sancta Erycina, tuum.  
 21 Idque est, quod doleo, misero quid fiet amanti ?  
 22 Purpureus niveo si cadet ore nitor ;  
 23 si caligantes cernam mea sidera ocellos,  
 24 si videam canas aurea vincla comas.  
 25 Ah potius nox atra tegat mea lumina, quin et  
 26 rumpite, dii, vitae dulcia fila meae,  
 27 quam bona tot spectem parva mutarier hora,  
 28 quam pereant nostri semina cara mali.  
 29 In me unum exercete iras, aud digna puella est,  
 30 cui cadat ante suum candida forma diem,  
 31 quae jam turpis anus primis spernatur in annis,  
 32 cui fugiat nitidi luminis omne decus.  
 33 Ipse vel expendam sceleris poenam, ipse piabo  
 34 quicquid dira volunt solvere facta ream.  
 35 Impune huic liceat jurare, et fallere : mallet,  
 36 quam vel pauxillam maereat illa, mori.  
 37 Parce, Venus : te ipsam laedes, si laedere tentas,  
 38 quae laesit numen falsa Nigella tuum.

ELEGIA II. AD SALVATOREM ROTAM FRATREM.

E2\_2 v.1 Venisti tandem : reduci dare carmina fratri  
 2 quis neget ? Aoniae dicite laeta deae.  
 3 Faustiana prius festis operata choreis,  
 4 rustica, sed domino munera grata paret.  
 5 Ipsa olus, ipsa epulas laetissima ponat inemptas,  
 6 quasque alit in tenero gramine, mactet oves ;  
 7 addat et his praedam merulas, turdosque coloni,  
 8 quotque domi agrestis vernula nutrit aves.  
 9 Levia vina prius, mox promat et acria, quaeve  
 10 rure premit, mittit quaeve Cirella mari.  
 11 Utque simul sacrae celebrent nova gaudia lucis,  
 12 convocet ad dulces numina amica dapes.  
 13 Porrigat ante omnes florentia sarta Patulcis,  
 14 spargat odoratas Antiniana rosas,  
 15 Mergillina ferat conchas, det Nesis echinos,  
 16 Pausilypus pictis ostrea tegminibus.  
 17 Aegle Nympharum pulcherrima, nobilis Aegle  
 18 ad numeros saltans carmina nostra canat.  
 19 Cinctus arundinea Sebethus cornua fronde  
 20 lucidulas blando murmure fundat aquas.  
 21 Hinc Resina paret lauros, hinc Portica myrtos,  
 22 Barra uvas, largo sorba Cremana sinu.  
 23 Hinc fetus Summa arbuteos, hinc Trochia ficus,  
 24 hinc Pollis cerasos, fragaque Fracta ferat.

25 Adsit pampinea redimitus vite Vesevus,  
 26 cui nova fumanti vertice flamma micet.  
 27 Tuque ferens cum matre haedum, cum prole columbam  
 28 populea flavas fronde revincta comas,  
 29 Hercullana, veni, laetae gratare sorori,  
 30 ne retinent fati te monumenta tui.  
 31 Nam vaga Nympha olim, patrio nunc litore saxum,  
 32 Ah nimis Alcidae te placuisse doles.  
 33 Mox ego, contexta lectis de frondibus ara,  
 34 haec signanda levi cortice verba canam :  
 35 "Frater adest, grandi mihi sit pro munere carmen :  
 36 carmen amat, merito carmine dignus erit."

## ELEGIA III.

E2\_3 v.1 Quo sine me, mea vita, erras ? Quae lustra morantur ?  
 2 Tu formosa nimis, tu male cauta nimis.  
 3 Non secus, ac terras cum nox tegit atra tenebris,  
 4 devia per silvas saepe vagatur ovis :  
 5 audiri quae dum sperat, nemus omne querelis  
 6 implet, et oblitus itque, reditque vias,  
 7 donec balantis vocem lupus haurit, et alta  
 8 nequicquam pastor rupe sedens queritur.  
 9 Scilicet haud tuto Satyris bona forma protervis  
 10 cernitur, et cupidis aurea Nympha deis.  
 11 Turba rapax ruit in Venerem, pavidasque puellas,  
 12 ut videt, ut flammam capta furore bibit.  
 13 Quin etiam cornu fugientes impetit, et mox  
 14 saetigera retinet turpis, inersque manu.  
 15 Quid tibi cum silvis ? Silvae mala saepe tulere :  
 16 haud est digna feris pulchra puella locis.  
 17 Exemplo infelix tibi sit Peneia virgo,  
 18 quaeque amor, et quae mox Pan sibi canna fuit.  
 19 Quaeque feras agitans modo Nympha errabat, at, eheu,  
 20 versa peragratis nunc fugit ursa jugis.  
 21 Exemplo orbatae longus Proserpina matris  
 22 fletus, ab inferno praeda petita Jove :  
 23 rapta subit tenebras, per prata virentia flores  
 24 dum legit, ah quantumserta dedere mali.  
 25 Sed tibi si tantum cordi latebrae, nemus, umbra,  
 26 si tibi erunt tanti retia, lustra, ferae,  
 27 ipse gerens amites humeris, et spicula dextra,  
 28 decipiam volucres, conficiamque feras.  
 29 Ipse comes grati veniam pars magna laboris :  
 30 Elysium tecum Styx erit atra nemus.  
 31 Interea, dea silvipotens, cui talia curae,  
 32 tuta sit auxilio fac mea Nympha tuo.  
 33 At si rumor erit praeter mea vota sinister,  
 34 sit precor illa obitus nuntia fama mei.

## ELEGIA IV. AD BACCHUM.

E2\_4 v.1 Si mihi dexter ades, faveas si, Bacche, petenti,  
 2 numine si fiant vota secunda tuo ;  
 3 non juvenem te mente levem, non corpore lentum  
 4 effingam, capiti cornua nulla dabo :

5 non te jam madidum musto, somnoque sepultum,  
6 jactantem ad cyathos turpia verba canam ;  
7 non dicam, ut potus soleas arcana referre,  
8 ut dubium titubans fersque, refersque pedem,  
9 sed clarum gravitate virum, sed casta loquentem  
10 te memorem egregia saepe nitere toga.  
11 Quin purae sectator aquae, quin desidis expers  
12 diceris somni carmine, Bacche, meo.  
13 Mox etiam cunctas narrabo ex ordine laudes,  
14 quas peperit virtus bellica Marte tuo.  
15 In primis referam, nigris ut victor ab Indis  
16 ipse triumphali comptus honore redis ;  
17 devictasque urbes recolam, populosque subactos,  
18 ductosque ad currum barbara vincla duces,  
19 nec sileam forti divulgum Penthea dextra,  
20 nec sileam exitium, stulte Lycurge, tuum.  
21 His addam aetherei turbantem regna parentis  
22 te quoque terrificis, Rhaete perempte, modis ;  
23 atque novos Satyros vino, thyrsoque furentes  
24 instituum binis ad tua sacra choris.  
25 Non Ariadnaeae jucunda incendia formae  
26 prateream sociis addita sideribus.  
27 Utque frui possis aeternum conjuge cara,  
28 contra ipsam caelo te quoque constituam.  
29 Si tantum vati liceat, si carmina tantum  
30 nostra valent, celeri carmina texta manu.  
31 Mox sequar, ut semper, quoquo vestigia vertis,  
32 te, bona Pax, hilaris te comitetur Amor.  
33 Ut lassis requies, maestis ut dulce levamen,  
34 ut lac infantum diceris esse senum.  
35 Ut sine te raro contingant gaudia plena,  
36 utque tuis spiret purpura nata genis.  
37 Demum non vitis posthac tua tempora cinget,  
38 sed Romana dabit laurus utrumque decus.  
39 Debita laurus erit, saevos quod fuderis hostes :  
40 debita, quod Phoebum, Pieridasque colis.  
41 Permessi perhibent te saepe ad sacra fluenta  
42 venisse, et lymphae posthabuisse merum :  
43 nec non ad numeros Musarum dulce canentum  
44 sopitum viridi procubuisse solo.  
45 Et tecum potos una duxisse poetas,  
46 Ennius ipse fuit, Maeonidasque comes.  
47 Ipse comes fuit et Flaccus, qui te sine numquam  
48 pulsavit Latiae dulcia fila lyrae.  
49 Fac, Lenaeae, igitur, ne sint, precor, irrita vota,  
50 quae bonus e medio pectore promit amor.  
51 Indefessus amor, qui nulli cedit amori,  
52 ut nulli cedunt Principis acta mei.  
53 Cujus me pietas servavit, fidaque dextra,  
54 cum peteret nostrum bellua dira caput.  
55 Et cum Scylla vorax rapidis demergeret undis,  
56 absorptum tuto litore restituit.  
57 Sic tibi fecundis vindemia laeta racemis  
58 impleat effuso grandia labra mero ;  
59 sicque tua niteant argentea cornua fronte,  
60 ut possit merito cedere Luna tibi.

## ELEGIA V. AD SERTORIUM PEPUM, ET JOANNEM ANTONIUM SERONEM.

E2\_5 v.1 Qui miser ah longo credebam vincere fletu,  
 2 rumpere qui molli saxea corda prece,  
 3 hei mihi nec lacrimae, prosuntve precantia verba,  
 4 dum Nisa obtusis auribus esse volet.  
 5 Certe ego, flebilibus quae fudi verba querelis,  
 6 sperabam saevas flectere posse feras.  
 7 Ah quoties durae pedibus projectus amicae  
 8 efflavi medio paene animam gemitu.  
 9 Nec tamen occlusas mea dicta admissa per aures,  
 10 stat surda Alpinis cautibus illa magis.  
 11 Saepe feram pretio tentavi vertere mentem,  
 12 at pretium tantum sanguinis illa petit.  
 13 Et tamen ah Veneris juravit perfida numen,  
 14 prae me vel magnos linquere velle Deos.  
 15 Tunc ego pollicitis captus, spe fretus inani  
 16 spernebam Stygii ditia regna Jovis.  
 17 Spernebam quicquid poterant dare sidera cuiquam,  
 18 spernebam Paphiae gaudia prima deae.  
 19 Non bene mentis inops reCOLENS, quam femina fallax,  
 20 quam sit vel levibus mobilior foliis.  
 21 Femina et a primis didicit mendacia cunis,  
 22 coepit et a tenero nectere lacte dolos.  
 23 Ipsa prius sanos praevertens carmine sensus  
 24 vitam homines docuit degere more ferae.  
 25 Ipsa prius caelo deduxit sidera cantu,  
 26 miscuit et dira taetra venena manu.  
 27 Ipsa prius meditata nefas, et fallere docta  
 28 aequavit vili regna superba solo.  
 29 Troja olim largo late perfusa cruore  
 30 testis, et Iliaci causa Lacaena mali.  
 31 Causa Lacaena mali, quod nulla oblitteret aetas,  
 32 Europae, atque Asiae grande Lacaena malum.  
 33 Ah nimis atra dies, Stygio tenebrosior Orco,  
 34 cum blando cycnum fovit amica sinu.  
 35 Cumque etiam furor effrenus, male sana cupido  
 36 in flammis patriae te, Pari moeche, tulit.  
 37 Quo, Pari moeche, ruis ? Non te potuere verenda  
 38 hospitii, non te jura movere tori ?  
 39 Verte parumper iter, nam carae incendia Trojae  
 40 humida per medii stagna vehis pelagi.  
 41 At si tantus amor Priami violare penates,  
 42 nec retrahit patriae debita cura tuae,  
 43 eia age, Rex pelagi, fluctus ad samera tolle,  
 44 incute vim validis flatibus, Hippotade.  
 45 Obruite o rapido sceleratas vortice puppes,  
 46 Europae, atque Asiae mergite grande malum.  
 47 Quo, Pari moeche, ruis fatali concitus astro ?  
 48 Sero etenim sapiunt post sua damna Phryges.  
 49 Sed quid ego ? Ah potius linguae mihi torpeat usus,  
 50 ausim quam dominam laedere laesus amans.  
 51 Etsi, quam valeat, didici, Romana puella ;  
 52 quam fera bella Venus Martis in urbe gerat.  
 53 Quin potius Divos moveant perjuriam linguae,  
 54 perfidiae poenas vana puella luat.  
 55 Tunc ego depictis subscribam vota tabellis,  
 56 tunc mihi prae cunctis Cypria numen erit.

57 Tum, mi Sertori, tum, mi dulcissime Seron,  
 58 si vos vel parvo tempore linquet Amor,  
 59 votivas aras ultrici ponite Divae,  
 60 ut servet vestro mox in amore fidem ;  
 61 et qua saeva iterum placari Tartara possent,  
 62 Romanam, et Tuscam sumat uterque lyram.

## ELEGIA VI.

E2\_6 v.1 Felices nimium servi Romana propago,  
 2 quos ornat fidei, quos pietatis amor.  
 3 Turcarum classis longo maris intervallo  
 4 in Surrentinos verterat arma lares.  
 5 Dumque urbem incendit, spoliat dum templa, rapitque  
 6 e matrum pavido pignora cara sinu ;  
 7 nec tam cura fuit captos abducere cives,  
 8 ferrea quam vestro solvere vincla pede ;  
 9 vos illos, quorum imperio mala multa tulistis,  
 10 Barbaricis juvit surripere e manibus ;  
 11 sublatoque humeris, ductosque per invia montis  
 12 servastis tuto lustra sub alta loco.  
 13 Quaeque parata aderat fatorum munere vobis  
 14 libertas, per vos hostibus ipsa data est.  
 15 Felices nimium servi, felicia vincla :  
 16 o sic vita velim serviat usque mea.

## ELEGIA VII. AD JULIUM CAESAREM CARACCIOLUM.

E2\_7 v.1 Juli, quem Phoebus simul, et Cytherea vicissim  
 2 erudiit, per quem fulget uterque magis,  
 3 etsi nos vario turbat fortuna tumultu,  
 4 et vetat antiquis otia tuta focus,  
 5 etsi nos trepidis agitat Mars efferus armis,  
 6 nec sinit Aonias vivere in urbe deas,  
 7 hincque furens subito populus ruit undique motu,  
 8 hinc arce aerea flammea saxa volant,  
 9 ipse tamen Veneris puer improbus, ut suus est mos,  
 10 saevius in nostro pectore bella gerit.  
 11 Non illum aeratae terrent per compita turmae,  
 12 non tuba, non socia tela retorta manu.  
 13 Ipse habet humano madefactas sanguine pennas,  
 14 caedibus assuetas, vulneribusque manus.  
 15 An ne igitur poterit tibi mittere carmina, cui sit  
 16 hinc Mars, hincque suo semper Amor lateri ?

## ELEGIA VIII. IN OBITU ANTONII EPICURI.

E2\_8 v.1 Tune, Epicure, jaces animae pars optima nostrae ?  
 2 Tune jaces Charitum, Pieridumque decus ?  
 3 Usque adeo immitis saevit lex improba fati ?  
 4 Usque adeo in magnos mors furit atra viros ?  
 5 Tu poteras blanda fatales voce sorores  
 6 flectere, praecipites tu cohibere manus ;  
 7 et tamen ipse siles nigro levis umbra sepulcro,  
 8 nec vatem Charites, Pieridesve juvant.

9 Debuerat laniata sinum, crinemque soluta  
 10 surripere e medio Calliopea rogo.  
 11 Ipsa tibi aeternas felicia pocula lymphas  
 12 praebuit, et velletserta dedisse tibi,  
 13 quae magni crines olim cinxere Maronis,  
 14 quaeque, Tibulle, tuos, quaeque, Petrarcha, tuos.  
 15 Te moriente, sacri Permessi exaruit unda ;  
 16 excussit laurus, te moriente, comas.  
 17 Dissiluit summo Parnasus vertice, et atra  
 18 nube suum obduxit, te moriente, nemus.  
 19 Tum Phoebus citharam perfregit pectine verso,  
 20 tum cecidit capiti laurus amata suo.  
 21 Solus abit, solus montes, silvasque pererrat,  
 22 flebilibusque movet saxa, ferasque modis.  
 23 Non tantum, Eridani cum flagravere salicta,  
 24 deflevit nati tristia fata sui.  
 25 Infelix Phaeton, animosis perditae coeptis,  
 26 quid male caute petis ? Cur tibi fata paras ?  
 27 Metiri poteris annos, viresque, animosque,  
 28 aequa humeris aptet pondera quisque suis.  
 29 At nos exemplum miserae terrere ruinae  
 30 debuit, et poteram, non tamen abstinui.  
 31 Lucis enim majoris amor nos perdit, et urit  
 32 major quae medio pectore flamma calet.  
 33 Quin etiam lacrimae, quarum nos mergimur undis,  
 34 sunt, quibus Eridanus cedere jure potest.

ELEGIA IX. AD VERNANDUM CARRAFAM, SANCTI LUCIDI DOMINUM,  
 DE CLARICE URSINA, CUI ROSA INSIGNE EST.

E2\_9 v.1 Carrafa, Idaliae miles spectate cohortis,  
 2 cui dedit ipse suam Phoebus habere chelyn,  
 3 dic, precor, Elysiis culta est num forte viretis ?  
 4 An nostra est Paphiis vallibus orta rosa ?  
 5 Num rubet effuso Veneris depicta cruore ?  
 6 Aurorae roseo num moda lapsa sinu ?  
 7 An Charis, ut se ipsam felici in flore referret,  
 8 hanc potius propriis excoluit manibus ?  
 9 Numquid odoratum Paestum, collisve beati  
 10 Pausilypi, aut laeto protulit Aegla jugo ?  
 11 Nobilis Aegla meo fidissima testis amori,  
 12 quaeque meo illustris carmine forsitan erit.  
 13 Num talem Alcinous ? Talem num sevit Adonis ?  
 14 Anne rosa est, cujus nomine dicta Rhodos ?  
 15 Crediderim spreta Phoebum Peneide fronde  
 16 compsisse intonsas floris amore comas.  
 17 Immemor antiquae stammae deus, immemor at non  
 18 saevitiae, atque fugae, dura puella, tuae.  
 19 Vana in amore fides, longi vertuntur amores,  
 20 vinceris ah Daphne flore relicta novo.  
 21 Nullus honos lauro posthac, rosa prima poetis  
 22 gloria, qua facili ducat ad astra via.  
 23 Cede, puer male caute, tua stas perditae forma ;  
 24 cede, Amarante, rosae ; cede, Hyacinthe, rosae.  
 25 Cedite victrices lauri, tua tempora circum  
 26 necte triumphator, necte poeta rosis.  
 27 Certa fides, vati quis non bene credat amico ?

28           Hanc Romana suis nutriit Ursa genis.  
29       Ursa duas inter clarum decus addita caelo,  
30           cujus fit claro clarior ore polus.

ELEGIA X. &AD CHRISTI DEI CRUCEM.

E2\_10   v.1     Fortunata arbor, quae reddis germina vitae,  
          2           digna olim regem sustinuisse poli.  
          3     Fortunata nimis, per quem caelestia regna  
          4           humano generi scandere posse datur.  
          5     O tua me semper dulcissima contegat umbra,  
          6           umbra vel aethereo lumine clara magis.  
          7     Atque adeo immoto vitalis pectore radix  
          8           haereat, ut nulla vellier arte queat.  
          9     Ara, ubi caelestis mactata est victima, cujus  
         10           sanguine deletum est crimen, et orta salus.  
         11     Arca, ubi servatum est, tristis cum perdidit imber  
         12           singula, mortalis seminis omne genus.  
         13     Crux bona vexillum caeli, clarumque tropaeum  
         14           elatum forti celsa sub astra manu.  
         15     Fortunata arbor, cineres vel adusque supremos  
         16           esto comes, dubiae metaeque, duxque viae.  
         17     Per mare, turbatis cujus demergimur undis,  
         18           tu mihi clavus eris, tuque phaselus eris.  
         19     Praevia tuque die deserta per invia nubes,  
         20           igneae tu media nocte columna mihi.  
         21     Tu mihi virga, olim quae floruit ordine miro,  
         22           tu mihi, qua saxi vulnere fluxit aqua ;  
         23     tu, qua Taenarii perfracta est janua Ditis,  
         24           oraque tergemini conticuere canis.  
         25     Tu mihi virga illa es, vastum qua finditur aequor,  
         26           dulcescit tactae qua vel amaror aquae.  
         27     Crux bona vexillum caeli, clarumque tropaeum  
         28           fixum victricis celsa sub astra manu.  
         29     Fortunata arbor, quae reddis germina vitae,  
         30           digna olim regem sustinuisse poli.  
         31     Nil mihi cum Mysis posthac, tu Musa vel una es ;  
         32           nil mihi cum lauro, tu mihi laurus eris.  
         33     Mors mala sub ligno per te procumbit eodem,  
         34           quo nata in nostrum prodiit exitium.  
         35     Sub pedibusque tuis victum facinusque, nefasque  
         36           projacet, et quicquid culpa vetusta tulit.  
         37     O, precor, in te configar, si magna precari  
         38           mi datur, et tantum promeruisse licet.  
         39     O utinam ad truncum moriar, sub stipite condar  
         40           tu Mausoleum, tu mihi Pyramides.

ELEGIA XI. AD ANGELUM CONSTANTIIUM DE OBITU FILII.

E2\_11   v.1     Pone modum lacrimis, Constanti, parce dolori :  
          2           saepe deis nimiae taedia sunt lacrimae.  
          3     Etsi te nati tantum mors turbat adempti,  
          4           quicum prima domus gaudia lapsa jacent.  
          5     Quid quereris ? Non causa tuis venit aequa querelis ;  
          6           jure quidem terris omnia nata cadunt.  
          7     Jure dedit natura mori : natura voluntas



8           firma Deum, superi quid nisi recta volunt ?  
9       Adde, quod est etiam mors contemnenda beatis,  
10       quod sapiens miserum nec putet esse mori.  
11       An nescis quot vita malis obnoxia ? Quae sit  
12       humani infelix condicio generis ?  
13       Undique perpetuo jactamur turbine rerum ;  
14       hinc fati, hinc casus vertimur arbitrio.  
15       Fortia per varios spectantur pectora motus,  
16       erigere intrepidus Fors violenta solet.  
17       Callidus iratis laudatur nauta procellis,  
18       et decus accepto vulnere miles habet.  
19       Non animum cauti sic miraremur Ulyssis,  
20       sensisset placidum si maris ipse Deum.  
21       Scilicet huc illuc vario cum fluctuat aestu,  
22       tunc mens signa sui roboris apta dabit.  
23       Evander natum, natum quoque Nestor ademptum  
24       flevit : at humentes tersit uterque genas.  
25       Frustra etenim querimur, nequeunt si fata moveri,  
26       pascitur humano ferrea mors gemitu.  
27       Cuncta dies minuit, tu victor temporis esto ;  
28       fac, per te veniat mitior ipse dolor.  
29       Te vocat ad suetos cantus, suetasque choreas  
30       Cynthius, et numeris commovet antra novis.  
31       Te sine Cyrrhaei longum tacuere recessus,  
32       fons sacer arenti te sine sordet aqua.  
33       Filius aetherei gaudet novus incola regni,  
34       et captat puri praemia digna animi.  
35       Non illi hi gemitus curae, quin forte perosus  
36       tot lacrimas, queritur de pietate tua.  
37       Perpetuam humanos questus turbare quietem  
38       credimus : Elysium pax tenet usque nemus.  
39       Illic tuta quies, tranquillae et gaudia vitae,  
40       quisque pius certis perfruiturque bonis.  
41       Illic quisque sibi felices transigit horas,  
42       seculo calcans gramina laeta pede.  
43       Illic aeterni flores, aeterna vireta,  
44       mensque alitur veris candida deliciis.  
45       Eia, animum compone aegrum, compesce querelas,  
46       nati ne rumpas otia sancta tui.  
47       Sat lacrimis maduere genae, sat lumina flerunt :  
48       turpe nimis turpe est fata dolere nimis.

.../...

## III

## ELEGIARUM LIBER III (428 vers)

## ELEGIA I. AD VEPASIANUM GONZAGAM.

E3\_1 v.1 Magne heros Gonzaga, tuo gratare poetae,  
 2 Gonzaga, Aonidum gloria, Martis honos.  
 3 Felices salvete undae, salve Aegla, benigno  
 4 quae nos exhilaras saepe, fovesque sinu,  
 5 Aegla dies tenebris, eadem portusque procellis,  
 6 jucundum nostris profugium Aegla malis.  
 7 Ille ego campanae Lycidas piscator arenae  
 8 restitutor notis advena litoribus.  
 9 Ille ego, cara olim qui per myrteta solebam  
 10 nequicquam Tusco carmine saepe queri,  
 11 cui toties olim tu responsare querenti,  
 12 assuesti, Nisae dum fera regna tuli,  
 13 dic rogo (quandoquidem potuisti noscere, dum nos  
 14 invitum tellus Romula detinuit)  
 15 num potuit meminisse mei, num Nisa miserta est ?  
 16 An nos illius mente fugavit Amor ?  
 17 Nempe fugavit Amor, veluti modo somnus aperte  
 18 detulit : est veri nuntius ipse Deus.  
 19 Visus eram plenas traxisse ad litora nassas,  
 20 mox raptas flebam mi subito e manibus ;  
 21 quin etiam niveas secreto litore conchas  
 22 dum legerem, dominae parvula dona meae,  
 23 vidimus insueto nigrescere more lapillos,  
 24 atque rapi irato retia jacta Noto ;  
 25 quasque modo intactas piscantes vidimus undas,  
 26 foedari immundae protinus ore suis.  
 27 Somne pater, rerum interpretes fidissime, nescis  
 28 fallere : sunt Somno singula nuda Deo.  
 29 Tu lucem praebeas tenebris, tu tecta recludis,  
 30 tu certis animum pascis imaginibus.  
 31 Tu dulci faciles complexu reddis amicas,  
 32 per te desertus conciliatur amor.  
 33 Quam merito fecitque Deum, donavit et ara,  
 34 qui per te novit commoda tanta prius.  
 35 Ecquis te melius dubiae praesagia mentis  
 36 firmare, atque animi solvere vincla potest ?  
 37 Ipse ego, litoreis tantam promittere Musis  
 38 si datur, haec per te litora, Somne, canam.  
 39 Ut Venus ipsa parens tibi sit, genitorque Lyaeus,  
 40 humano ut venias certa quies generi.  
 41 Nec sine te quicquam jucundum, dulce nec ullum,  
 42 nec sine te possit vita placere diu.  
 43 Nulla dies, votis qua non venerere, recedet :  
 44 crescet muneribus pinguior ara meis.  
 45 Seu fluctus fremat iratus, seu dormiat, omnis,

46 crede mihi, veniet praeda futura tua.  
 47 Interea quando de te male rumor habetur,  
 48 falle alium, tecum nil mihi, Nisa vale.  
 49 Nisa vale, infidae poenas dabis improba dextrae :  
 50 discet ab exemplo perfida turba tuo.  
 51 Risus amatorum fies per compita, fies  
 52 turpis anus tremula despicienda manu.  
 53 Vix et humo audebis mendaces tollere ocellos,  
 54 qui nova nunc nivea sidera fronte nitent.  
 55 Flebis in argentum flavos abiisse capillos :  
 56 perfidiae senium poena, malumque venit.  
 57 Aequa Deum pietas, nihil est, quod linquat inultum :  
 58 nulla quidem justas dissipat aura preces.  
 59 Audiatur hoc, sanctumque precor Venus aurea faxit,  
 60 pendeat e collo fracta catena meo.

ELEGIA II. AD ANNIBALEM CARUM.

E3\_2 v.1 Necte comam lauro, Jani rediere Calendae,  
 2 mittuntur grata mutua dona manu.  
 3 Laetitia huc illuc volitans per compita ludit,  
 4 de prisco cunctos gaudia more tenent.  
 5 Aegla coronatas exercet pulchra choreas,  
 6 non tamen ut nuper carmina laeta canit.  
 7 Hei mihi cur uni maestae rediere Calendae ?  
 8 Cur mihi laeta dies tristis, et atra venit ?  
 9 Festa aliis late praecingit limina laurus,  
 10 limina feralis nostra cupressus habet.  
 11 Sancta doce Venus, immiti quae dona sepulcro  
 12 mittere, qua marmor flectere voce queam.  
 13 Ah felix marmor, nostros quod condit amores,  
 14 nec me, quod vellem, condere adhuc potuit.  
 15 Per te saepe imis arsit Neptunus in undis,  
 16 Jupiter et medio mugit ipse salo.  
 17 Jampridem longos questus, lacrimasque movemus :  
 18 at lacrimae, et questus praemia mortis habent.  
 19 Jampridem dedimus devicti pectoris arcem,  
 20 tu magis at nostro sanguine laeta furis.  
 21 Annue, Diva : tuas ussit quoque flamma medullas.  
 22 Tene latent nati tela, facesque tui ?  
 23 Eveniant modo vota, alii tibi marmora ponant,  
 24 marmora Phidiacae fama, decusque manus.  
 25 Ipse seram triplici dilectas ordine myrtos,  
 26 subque tuo crescens nomine lucus erit.  
 27 Ara intus sexto surget de caespite, qua non  
 28 agna tibi undanti sanguine caesa cadet ;  
 29 sed devota tuae famabunt exta columbae,  
 30 et rosa non solito sparget odore focos.  
 31 Hic ego litorea meditabor arundine carmen,  
 32 quod referat docili silva novella sono.  
 33 Atque Gnidon, Cyprumque canam, natumque potentem,  
 34 nobile et Idaei iudicis arbitrium.  
 35 Ut sit amarities dulci permixta veneno,  
 36 eque tuo veniat vitaeque, morsque sinu.  
 37 Utque truci sis orta mari, sis saevior undis,  
 38 etsi te miti fronte tabella refert.  
 39 Per te fiat amans piscator, sitque poeta,

40           qui moveat Tuscis caerula regna modis.  
 41 Haec ego : dent alii spirantes aere columnas,  
 42           dentque revulsa tuis saxa, Caryste, jugis.  
 43 At si fata volent lacrimosae stamina vitae  
 44           rumpere, et aversis auribus esse Deam,  
 45 tum memor ipsa tui, carissime Care, sodalis  
 46           haec subscripta meo carmina da cineri.  
 47 Uxore extincta lugens, ardensque poeta  
 48           occidit, et tumulo luget, et ardet adhuc.

ELEGIA III. AD PHOEBUM, DE JOANNE FRANCISCO MUSETTULA AEGROTANTE.

E3\_3    v.1    Phoebe, veni : noster tibi sit Musettula curae,  
           2           quem longus fesso corpore morbus habet.  
           3    Nunc opus in primis varios componere succos,  
           4           nunc opus est medicas nunc adhibere manus.  
           5    Eia age, Pieriis herbas quas colligis hortis,  
           6           affer, ut a domino sentiat aeger opem.  
           7    Quid fiet, si forte diem Musettula claudet ?  
           8           Quid fiet nostri temporis historiae ?  
           9    Actum esset de te, memor o facundia, nullus  
 10           esset honos salibus, gratia nulla jocis.  
 11 Non illi curae anguipedes fera monstra Gigantes  
 12           fingere, et irati flammea tela Jovis,  
 13 utque pater fuerit Dictaeis pulsus ab oris,  
 14           ut dederit Latiis commoda primus agris ;  
 15 verum discordes animos, Tiberinaque bella  
 16           scribere, et Albani fortia facta Ducis,  
 17 ut furor e parvis incendia magna favillis  
 18           suscitet, involvens saepe profana sacris,  
 19 ut rerum eventus doceat sibi quemque cavere,  
 20           consulat alterius ut sibi quisque malo.  
 21 Te modo ne pigeat pavidis succurrere votis,  
 22           et tua jam dextro visere sacra pede.  
 23 Servato hoc uno major tibi, Phoebe, triumphus,  
 24           quam numeris audax Marsya victus, erit.  
 25 Marsya mentis inops, non est tua tibia tanti,  
 26           direpta in latices dum fluis ipse cute.  
 27 Non tibi tam Python decori, Cyclopsque peremptus,  
 28           quodque tot unus habes nomina clara deus,  
 29 quod vatum praeses coleris, quod carminis auctor,  
 30           quod tibi sit laurus, quod lyra, quodque coma ;  
 31 quam modo languentem nobis servasse sodalem,  
 32           et simul Aonium restituisse decus.  
 33 Tunc ego rite novus visam tua templa sacerdos,  
 34           atque addam sacris tura Sabaea focus,  
 35 moxque alios inter, festum Paeana canentes,  
 36           terque, quaterque tuum nomen ad astra feram.  
 37 Parcite tunc, lacrimae ; parce, o dulcissima conjux ;  
 38           parce, dolor, sine te sit precor una dies,  
 39 ut possim meritas narrare ex ordine laudes  
 40           et Tusco, et Latio carmine, Phoebe, tuas.  
 41 His demum exactis, lacrimae, conjuxque redite ;  
 42           vince, dolor, sine te sit mihi nulla dies.

## ELEGIA IV. AD JOANNEM HIERONYMUM AQUIVIVUM, ADRIAE DUCEM.

E3\_4 v.1 Et licet, et licuit semper deponere curas,  
 2 miscere et levibus seria facta jocis.  
 3 Majus adest : meditare novas, Aquivive, Camenas,  
 4 sol procerum, patriae spes, Aquivive, tuae.  
 5 Te quoque Phoebus amat, sunt et mea carmina curae  
 6 legisti nugas terque, quaterque meas.  
 7 Huc ades, huc nostri, Mai, pars laetior anni ;  
 8 huc florum, huc veris laete minister ades.  
 9 Te canimus, tibi nostra novos lyra temperat ictus,  
 10 sacramus meritis festa novella tuis.  
 11 Auspice te, primum vitales hausimus auras,  
 12 excepit viridi florea terra sinu.  
 13 Tunc Paphon, et Veneris linquens puer improbus ulnas,  
 14 pectoris imperium coepit habere mei.  
 15 Meque prius lustrans lacrimis inspersit amantum :  
 16 mox madefacta meo sanguine penna sua est.  
 17 Aspice, ut ante fores longo tibi stipite surgat  
 18 arbor, et est Majus nomine dicta tuo.  
 19 Aspice, contexto quot pandat vertice frondes  
 20 ramus, ut e ramo pendula cantet avis,  
 21 ut velata novis exsultent limina sertis,  
 22 ut passim largo flore nitescat humus,  
 23 ut Nymphae antiquo celebrent Majalia ritu,  
 24 atque ter haec laeta carmina voce canant.  
 25 O faveas, hilari spectentur singula vultu :  
 26 adsit Amor, miti qui ferat arma manu :  
 27 te canat arboreo recubans sub tegmine pastor,  
 28 dum carpit tenerum gramina laeta pecus :  
 29 te canat hinc olitor, te cari hinc cultor agelli,  
 30 dum ludunt vacui lata per arva boves :  
 31 tu, bone Dive, adsis : Zephyrum sic fallat amantem  
 32 Chloris, et optato te foveat gremio,  
 33 Chloris amor, Chloris pulchris praelata puellis,  
 34 quae vel adhuc frustra deperit igne tuo,  
 35 quam, dum forte olim gemmantia prata pererrat,  
 36 diceris ipse tuo detinuisse sinu.  
 37 Ac tum purpureasque rosas, mollesque hyacinthos,  
 38 tum primum violas, tum genuisse crocum.  
 39 Hinc data jucundo per te sunt nomina mensi,  
 40 hinc Maii ex illo tempore nomen habes,  
 41 quod tibi nec prisco majorum nomine ductum est,  
 42 nec tibi majestas, nec tibi Maia dedit ;  
 43 sed quod majores numquam Dea senserit astus,  
 44 quodque magis nullo tempore regnet Amor.  
 45 Verum hausisse parum vitales profuit auras,  
 46 cum sine te conjux omnia sint tenebrae.  
 47 Ver mihi tristis hiems, flores ferrugine pallent,  
 48 et pulchra, et ridens arida maeret humus.  
 49 Omnia laeta tuo conduntur, Portia, saxo,  
 50 et tamen haud potui condier ipse simul.  
 51 Quid moror infelix ? Exstincta vivere vita  
 52 non decet : erepta conjuge, vita mori est.

## ELEGIA V. AD VALLEM ROSCIOLANAM.

E3\_5 v.1 Siquid mi misero est animi, quod forte reliquit,  
 2 quae tulit ad tumulum secum animam, atque animum,  
 3 omne id discedens vallis tibi cara relinquo ;  
 4 et si id non habeo, velle id habere sat est.  
 5 Vallis cara olim, visa mihi carior acta ;  
 6 roscida, seu rosea es, nescio, cara tamen.  
 7 Fontibus irriguis laetissima, dulcibus umbris,  
 8 ridente croceo picta nitore sinum.  
 9 Non tibi ros dederat nomen, non Roscius olim ;  
 10 sed rosa, Acidaliae dona relicta deae :  
 11 namque in te latuit, fugeret cum Martis amores  
 12 Cypria, posthabita te coluitque Papho ;  
 13 decedensque rosam dono dedit, ipse latebat  
 14 pectore flos blandi captus amore loci,  
 15 atque ait : "Hospitii rosa sit tibi pignus amici,  
 16 deque rosa, felix hospita, nomen habe.

## ELEGIA VI. ADMARINUM FRECCIAM DE RUINIS PAESTANIS.

E3\_6 v.1 Vosque, o jucundi deflenda cadavera Paesti,  
 2 vos o felicis diruta busta loci,  
 3 ridentes campi, dulcissima litoris ora,  
 4 quae vel adhuc redoles semisepulta rosas,  
 5 vos sacrae Heroumque umbrae, quae nunc quoque, ut olim,  
 6 huc illuc fertis per loca nota pedem,  
 7 Sancte Ceni, priscique Lares, nunc pascua, vos et  
 8 nunc nemus, ast olim templa, theatra, forum,  
 9 Urbis relliquiae miserae, celebresque ruinae,  
 10 tristia fatalis vix monumenta soli,  
 11 dicite (quandoquidem pietas non ultima rerum est,  
 12 nec procul a duro marmore sensus abest,  
 13 infelix testis Niobe, quae flebile saxum  
 14 extinctos natos luget adhuc Sipylo.)  
 15 Anne umquam audistis motu suspiria tanto ?  
 16 Spectastisne umquam totve simul lacrimas ?  
 17 Vos numquam audistis motu suspiria tanto,  
 18 numquam spectastis totve simul lacrimas.  
 19 Mors tua sunt dona haec, nullo mors saevior aevo :  
 20 tune igitur bona mi tot simul una rapis ?  
 21 Numquam par facinus patrabis, ferrea fata,  
 22 exitio nimium ferrea fata meo.  
 23 Ah scelus infandum ! Sed quid mala fata tulistis ?  
 24 Emicat aethereo Portia nostra polo.  
 25 Atque incorruptae pulcherrima semina formae  
 26 transtulit omniparens ad sua regna Venus.  
 27 Ut siquid pulchri vellet mortalibus esse,  
 28 hinc caperet, pulchrum non aliunde capit.  
 29 Non, quae junxit Amor, potuistis solvere vincla,  
 30 vincla nec extremo dissoluenda rogo.  
 31 Urbis relliquiae miserae, celebresque ruinae,  
 32 spargite nunc mecum, spargite nunc lacrimas.  
 33 Vos semel excidium quondam deflestis acerbum,  
 34 sed finem lacrimis fata dedere tamen.  
 35 At mi nil prodest rerum mutabilis ordo,  
 36 nam vita aeternis est rediviva malis.

37 Tuque Acci quondam, nunc verso nomine Solphon,  
 38 qui vitreo exhilaras pingua culta pede,  
 39 Solphon, cui Silaris pater est, cui Trentana mater,  
 40 cui Jungana uxor, cui Cominenta soror.  
 41 Omnia mutantur : mutant quoque flumina nomen.  
 42 Tristem animum nullo tempore mutat amans.  
 43 At me quis retinet ? Juvat o me mittere in undas  
 44 praecipitem : placidis excipe, flumen, aquis.  
 45 Non decet exstincta jam vivere conjuge : nunc o,  
 46 o liceat saltem sic mihi posse mori.  
 47 Nempe tuis nostras undis exstinguere flammam  
 48 fata sinent : sed quae somnia fingit amor ? ,  
 49 Necdum tantillum ardoris, qui pectore fervet,  
 50 restingui poterit fluctibus Oceani.  
 51 Urbis relliquiae miserae, celebresque ruinae,  
 52 spargite nunc mecum, spargite nunc lacrimas.  
 53 Aucte meis lacrimis Solphon te cernimus ultro  
 54 sistere, tu liquido me, precor, abde sinu.  
 55 Abde, precor : quid possit amor, bene flumina norunt :  
 56 praecipitem placidis excipe blandus aquis.  
 57 Forsan ope indigenae nos et mutabimur amnis,  
 58 et fiam nullis sensibus ipsa lapis.  
 59 Namque in te jactum saxo concresecere ramum  
 60 vidimus : an ramus forte meam melior ?  
 61 Sim licet ipse lapis, doleam tamen usque, dolensque  
 62 ardebit medio flumine muta silex.  
 63 Tu lux interea sanctarum Freccia legum,  
 64 qui Romam, et Spartam pectoris arce geris,  
 65 exstincti mecum luge pia funera Paesti,  
 66 quin potius luge funera viva mea.

ELEGIA VII. AD SCIPIONEM AMMIRATUM.

E3\_7 v.1 Ammirate, huc huc, quo te vocat Aegla, venito :  
 2 non bene cum Musis convenit aula, forum.  
 3 Ecquid adhuc vanas lentus teris aulicus horas ?  
 4 Felle venenato tecta superba madent.  
 5 Huc tecum veniat Ninus, nec Cambius absit ;  
 6 tu, Cicarelle, veni ; tuque, Maranta, veni.  
 7 Qui simul hic repetant iterum, "Mors una duobus",  
 8 et recolant gemitus tot monumenta mei.  
 9 Quorum colloquio statuariae, circumque resultet  
 10 porticus, et nostro picta dolore domus.  
 11 Huc properent dulces etiam, quos deperis, ignes,  
 12 tractet et Idalius mitius arma puer.  
 13 Nec non egregium Phoebus comitetur alumnum,  
 14 perque jocum discat villica verba loqui ;  
 15 atque rosis, quas hortus alit, tua tempora cingat,  
 16 tempora, quae pridem laurus amica tenet.  
 17 Rura colam desertus amans : mihi rura colenti  
 18 vilescant omnes, quas habet Indus, opes.  
 19 Rura quies, pax rura colit, mens nescia ficti,  
 20 purus, et intactae religionis amor.  
 21 Rura fides, probitasque colit, rectumque, piumpue,  
 22 nudaque simplicitas, virgineusque pudor.  
 23 Saturnus castos fertur regnasse per agros,  
 24 exempta est dulci tunc fera glande fames.

25 Tunc non sucuros rumpebant classica somnos,  
 26 non gladius nostro sanguine tinctus erat.  
 27 Nullus adhuc locus insidiis, non taurus aratrum,  
 28 vincula non pedibus senserat ulla reus.  
 29 Nullus erat pecori numerus, nullusve magister :  
 30 nondum tentarat navita avarus aquas.  
 31 Quisque dabat Venerem truncus : simul esse licebat :  
 32 non erat invisita janua clausa sera.  
 33 O tum felices, quibus ultima contigit hora :  
 34 debuit humanum tunc periisse genus.  
 35 Quis fuit infausti sceleratus criminis auctor ?  
 36 Quis tantum potuit promeruisse mali ?  
 37 Jupiter ecquid agis ? Per te bona saecula ruerunt  
 38 in ferrum, per te totque abiere bona.  
 39 Debueras certe sceptris praeferre paternis  
 40 non aequanda ullis oscula divitiis,  
 41 oscula, quae passim blandis surrepta puellis  
 42 libera lex prisca temporis ipsa dabat.  
 43 Tu tibi damna paras Saturno regna tenente,  
 44 quam variis licuit ludere imaginibus.  
 45 Nunc ales, nunc taurus eras, nunc aureus imber.  
 46 Praeda erat ardori quaeque puella tuo.  
 47 Nec minus interea fumabant thura per aras :  
 48 sunt et amatori reddita vota Jovi.  
 49 Nunc tibi jucundae praerepta licentia vitae,  
 50 Nunc variis veritum ludere imaginibus.  
 51 Non licet incautas mentito numine Nymphas  
 52 fallere : stant quanto regna parata malo.  
 53 At nos quid tantum sceleris commisimus, ut non  
 54 antiqua liceat condicione frui ?  
 55 Vix datur optatas procul inspectare puellas :  
 56 saevit enim nostro tempore avarus amor.  
 57 Et merito, quoniam mendaci credimus hosti :  
 58 ah, quantum est pueris credere vana fides !

ELEGIA VIII. AD RODULPHUM PIUM CARDINALEM, VINUM MITTIT,  
 CUI 'LACRYMA' VULGO NOMEN EST.

E3\_8 v.1 Quem Roma vocat merito decus urbis, et orbis,  
 2 quem vocat humani delicias generis ;  
 3 cui jam templa, aras ponit, quo Principe magna  
 4 concipit, et supplex vota, precesque parat ;  
 5 en tibi Pausilypi lacrimae, quas fudit ad undas,  
 6 dum fugiens Nesis vertitor in scopulum.  
 7 Tu cape (parva licet) magni sunt pignora voti,  
 8 sive leges lacrimas, sive bibes lacrimas.  
 9 Forte sub umbrosa cantabat vinitor ulmo  
 10 Pausilypus : domino spem dabat uva suo.  
 11 Jamque arbusta, lacus, utres, et praela sinebant  
 12 calcari immundo fervida musta pede.  
 13 Nesis Nympha, olim felicis gloria collis,  
 14 optatus juveni, dulcis et ardor erat.  
 15 Vinitor haec blandis jactabat verba querelis,  
 16 quae poterant quercus flectere, saxa, feras :  
 17 huc propera, o Nesis, Nesis dulcissima cura,  
 18 en volat ad te animus, deserit en me animus.  
 19 Est procul a nobis campana licentia fandi,



20           indigna obscenis casta puella josis.  
 21       Quo vocat Autumnus, quo te vocat ipse Lyaeus,  
 22           nympha, veni : non sum, qui tibi damna parem  
 23       dispeream, caris oculis ni carior ipsa es,  
 24           ni matura uva dulcior ipsa mihi es.  
 25       Ecquis tam saevus, placidam qui turbet amicam ?  
 26           Ecquis erit, qui te laedere, vita velit ?  
 27       Sordidus aud ego sum, media sed natus in urbe,  
 28           qui videar, pes est testis, et ipsa manus.  
 29       Rustica non facies, non barba est uvida musto,  
 30           non mihi pes est, non faece peruncta manus.  
 31       Hic tibi frondentes texunt umbracula vites,  
 32           hic ulmus virides pandit opaca comas.  
 33       Hic mulcere potes jucundo lumina somno,  
 34           lumina, quae memet surripuere mihi.  
 35       At vereor, somnus ne, dum blanditur ocellis,  
 36           detineat dein te captus amore tuo.  
 37       Ipse et odoratis componamserta racemis,  
 38           qualia non Indo Bacchus ab orbe tulit,  
 39       queis vitare aestus poteris, queis cingere crines,  
 40           ah crines vitae retia cara meae.  
 41       Depictas soleas palea, textumque galerum  
 42           servavi, illum rure, has et ab urbe tuli.  
 43       Quin tibi me me ipsum servavi : num dare majus  
 44           quis valet ? Et plura his te quoque dona manent.  
 45       Pausilypus tuus est totus, vindemia tota est :  
 46           non ego, non sine te vivere et esse velim.  
 47       Huc propera, o Nesis : quae te nunc invida nobis  
 48           otia, quae choreae, qui retinentve chori ?  
 49       Num me fastidis ? Tenuem num spernis amantem ?  
 50           Cui sit villa parens, et tibi villa parens.  
 51       Etsi non dives, tamen est mihi vinea villae  
 52           proxima : dat Graecum, dat Latiumque merum.  
 53       Quae bene culta nitet fecunda saepta labrusca,  
 54           implet et ipsa meri quattuor una cados.  
 55       Illa aderat latitans post sepem, dumque pedem fert,  
 56           arguto saepes obstrepit icta pede.  
 57       Sensit adesse miser, sequitur, fugit illa propinquum  
 58           ad litus, sueto non bene tuta loco,  
 59       atque ait : "O Nymphae, facili succurrite dextra :  
 60           inter Nereidas culta Diana quoque est."  
 61       Sic illa, exsiliens medias evadit in undas,  
 62           tum versa in scopulum protinus obriguit.  
 63       Protinus obriguit, poterant hoc numina, et ultra,  
 64           ut saxum, atque uno tempore Nympha fuit.  
 65       Haesit amans, monstrumque horret, nec plura locutus  
 66           heu totus dulces liquitur in lacrimas.  
 67       Flerunt Nereides, sociam flevere Napaeae,  
 68           est silvis pietas, est pelago et pietas.  
 69       Tuncque Dicarchaei dederunt suspiria colles :  
 70           ex illo semper sulphure flagrat ager.  
 71       Gajola vicinam flevit, lacrimasque dedere,  
 72           Mergillina suas, Antiniana suas.  
 73       Nec non ipsa, velut venturi praescia fati,  
 74           uberius lacrimas spargis et Aegla tuas,  
 75       Aegla, olim ad numeros quae responsare solebas  
 76           piscantum, sed nunc non nisi flere tuum est.  
 77       Et sat erat servasse tuos ad funera fletus,

78            quae scribenda meus morte reliquit amor.  
79        Verum ille ut vidit mutato corpore Nympham,  
80            vidit, et infelix nec sibi credit amans ;  
81        in mare praecipitem sese demittere tentat,  
82            caro etiam sperans posse frui scopulo.  
83        Sed Bacchi pietate (canat quis mira deorum ?)  
84            In vitem, haerebat cui modo, versus abit.  
85        Quae nunc maesta etiam illacrimat, quae cortice manat,  
86            heu, memor exitii tempus in omne sui.

\*\*\*\*\*